



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Theophili Raynavdi, Ex Soc. Iesv. Erotemata De
Malis Ac Bonis Libris, Deque Ivsta Avt Inivsta, eorumdem
confixione**

Raynaud, Théophile

Lvgdvni, 1653

XX. An eo tantùm quod liber quispiam nouam doctrinam continet, sit
configendus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11141

gustino ad Eremitas fermocinante idem statuendum censeat æquus lector, eum scilicet, vt plus prodesset, ex Augustini persona declamitare scripto voluisse, non abnuam. Idiota verò mentem humillimam, appellatio ipsa monstrat; vt non sit pro aliis suppressi per eum nominis causis conquirendis laborandum. Chronici Flauij Dextri anceps est causa, de qua in præsentia pronunciate non placet. Sed si victoria esset penes eos, qui huiusmodi Chronicon nouitium esse contendunt, & falsò adscriptum Flauio Dextro, non esset laborandum in causis speciosi nominis ei Chronico præfixi, cum id ex vanissima vanitate flagitiosè susceptum esse, non esset futurum dubiam.

408.

Quare maneat, libros nullo, vel e mentito auctoris nomine editos, nisi sub sit idonea suppressionis illius causa maioribus probata, confixioni iure patere, etiam si boni, & innocui essent. Et sanè suppetit ipsius Auctoris præiudicium aduersus librum suum, cui nomen veri auctoris præfigere non est ausus. Expendatur probrum libri quod non erigit frontem. Eo ipso enim innuitur esse reprobum, quia veritas, vt alibi plenè trado, non amat latere, sed gestit erumpere, ac manifestari. Duntaxat falsitas & malitia, auct celari, vt rectè assumit Tertullianus, *cap. 1. Apolog.* Iis ipsis, qui enormia patrarunt vt factis, premi ac occultari commertis, respondeat pœna, repensã sæpè est publico decreto suppressio nominis, vt illi templi Ephesij magnificentissimi incendiario; cum factus esset se tantum facinus aggressum, vt inde nominis immortalitatem assequeretur. Decreto enim publico cautum est, ne eius nomen vsquam consignaretur. Quanquam nescio vnde innotuit, nomen ei fuisse *Herostrato*. Tyberij item decreto, artifex, vitri non fragilis inuentor, æterna nominis suppressione multatus est, vt scribit Dio *lib. 57.* quia eius inuentum iudicatum est perniciosum; quippè pretia auro & argento, ac quibusuis metalis detracturum, vt Plinius notauit *lib. 36. cap. 26.* Quæ ergo improuidentia est, vltro libro suo accersere, quod pro maxima pœna valdè noxiis decreto publico irrogatur, nempe vt nomen auctoris oblitteretur, nec permânet ad posteros eius memoria? Qui itaque sic statuit de suo opere, non potest ægrè ferre quod ei publica sententia suffragetur, & tenebris damnet librum quem auctor sub sipario latens, sibi censet probrosum; & eo ipso, indignum luce publica pronunciat.

 EROTEMA XX.

*An eo tantum nomine, quòd liber quispiam
nouam doctrinam contineat,
sit configendus.*

409.

Colloco in hac serie, libros ex sola nouitate suspectos, quia ex se possunt & innoxij, & boni esse. Considerandum ergo est, an ob solam nouitatem,

nouitatem, periclitari debeant. Videtur autem adhibenda distinctio. Nam vel nouitas spectat fidei dogmata, vel modum dumtaxat ea confirmandi, aut illustrandi; aut certè cadit in aliquam materiam, cui nihil est cum fide diuina commune.

In causa fidei, reprobatur nouitas.

Nouitas in rebus fidei, vt notauit Naz. *orat. 33. initio*, apud Apostolum 1. *Timoth. 6.* idem est, quod error, vel doctrina improbanda. Et hac ratione, Faustus Episcopus Apolloniadis, *ep. ad Petrum Fullonè*, ait. [Scis Apostolos non fuisse præceptores in nouitate.] id est, nouitatum magistros non fuisse, qui tantum docebarit quæ à Christo acceperant. Similiter apud Lyrinensem in commonitorio nunquam satis laudato, fusissimè monstratur, *nouitates* idipsum esse quod *hæreses*. Nominatimque *cap. 26.* prolato eo Apostoli loco quem Nazian. quoque allegauit tanquam spiritali quodam gladio, quo sæpè truncatæ, semperque truncandæ sunt hæreses, subdit. [Et posthæc inueniuntur aliquitanta inueteratæ frontis duritia, tanta impudentiæ incude, tanto adamante pertinaciæ, qui tantis eloquiorum cælestium molibus non succumbant, tantis ponderibus non fatiscant, tantis malleis non conquassentur, tantis postremò fulminibus non conterantur? *Deuota*, (inquit,) *prophanas* uocum nouitates, non dixit *antiquitates*, non dixit *ueterustates*, imò planè quid è contrario sequeretur ostendit. Nam si vitanda est nouitas, tenenda est antiquitas, & si prophana est nouitas, sacrata est uetustas.] S. Basilius *lib. de Spiritu sancto cap. 29.* ad eundem lydium lapidem, exigi uult res fidei. [Veneranda sunt enim uetusta dogmata, quod ob antiquitatem, seu caniciem quandam, habeant quiddam reuerendum.] Idem *epist. 62. in laudibus Eusebij Neocesariensis*, illud fusè recenser, quod uetera ueterum proferret, & nouitates auerfaretur.

Augustinus *lib. de uilit. credendi cap. 1.* per studium nouitatis desinit hæreticum. Eamque hæreseon, & Catholicorum dogmatum, ueluti caracteristicam assignat Orig. *tractat. 21. in Matth.* Pulchrè uera Theophil. *Alex. hom. 1. Pasch.* hac ex causa confert hæreticos ueritatis antiquæ fastidia sustinentes, præstantibus cibos, uulgares fastidientibus, & uouos, ac insolitos affectantibus. Hæc illi uniuersè.

Sigillarim uerò, quibusuis planè hæresibus, idipsum à Patribus obiectum est. Petrus Chrysologus impugnans Nestorianos *serm. 145. in fine*. [Humanæ leges intra triginta annos litigiosas omnes interimunt quæstiones; & Christus circa quingentos annos natiuitatis suæ causas præstat? ortus sui lites patitur, status sui sustinet quæstiones?]

Hieronymus pulchrè *epist. 65. num. 24.* de Origenis erroribus cum Pamachio, & Oceano differens. [Quisquis es, (inquit,) assertor nouorum dogmatum, quæso te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostoli uoce laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod antè nesciuimus? Cur profers in medium, quod Petrus, & Paulus edere noluerunt? Usque ad hunc diem, sine ista doctrina mundus Christianus

410.

stianus fuit. Illam senex tenebo fidem, in qua puer natus sum.] Magistrum videret expressisse, cuius illa sunt sanè illustria *orat. 52. num. 14.* nouitatem Apollinaristarum redarguentis. [O ingentem absurditatem! absconditam post Christum sapientiam nobis annunciant, id quod sanè lachrymis dignum est. Nam si triginta dumtaxat abhinc annis fides initium sumpsit, cum quadringenti iam anni ferè fluxerint, ex quo Christus manifestatus est; inane utique tanto tempore fuit Euangelium, inanis etiam fides nostra; frustra que Martyres martyrio perfuncti sunt, & tales tantique Antistites plebi præfuerunt.] Similia Tertullianus *lib. de præscript. cap. 29.* S. Athanasius *de Synodis Arimini, & Seleucia initio*, Lyrin. *in commonitorio, cap. 33.* aliàs 34. Pacianus *epistol. 3. initio.*

411.

Apud S. Epiphanium, cum Aëtius Anomæorum parens, Catholicos nominasset antiquarios, & qui iamdiu opinionis suæ adhæserunt, (ita enim habet initio sui libelli, quem S. Epiphanius *her. 76.* descripsit, & initio Syllogisticorum capitum, quæ S. quoque Epiphanius ex eo subiicit;) ad hunc modum ei reponit S. Epiphanius, redarguens quod stultè Catholicos sic nominasset. [Etenim sancta Dei fides ab initio existens, & semper antiqua, & non inueterascens, semper est; & firmatum est huius fundamentum, & existit habens suum Dominum sine tempore. Idèd neque ipsa temporalis existit, sed cum Angelis conuersatur, & Sanctos per generationem, ac generationem ornat. Tu verò potiùs temporalis es, passus, ac deceptus ab errore, & elatus mente, etiam gregem tuum fusim in pabulum spinosum implicuisti; nemo enim ex veteribus tecum sensit o Aëti, qui contra Antiquarios scribens, ipse temporalis es, & minimè antiquarius.]

De Manichæis in hunc modum scribit S. Augustinus *lib. 15. contra Faust. c. 3.* Quid agunt isti euangelizantes nobis præter quod accepimus, nisi ut nos à castitate corrumpant, quam Christo seruamus, quando legem Dei culpant nomine verustatis, & errorem suum laudant nomine nouitatis; quasi omnis verustas fugienda sit, aut omnis nouitas appetenda; cum & mandatum vetus in laude ponat Apost. Ioan. & prophanas verborum nouitates euitari iubeat Apost. Paulus.]

Ex variis Patribus, multa in eandem sententiam, & nouitatis hæc in parte improbationem, collegit Radulphus de Riio *lib. de Canonum obseruantia, propositione 6.* Et plura etiam Thomas Bozius *lib. 3. de signis cap. 9.* Denique ex nouitate septimam hæreseos notam, in hæreticis huius temporis, egregiè monstratam legere licet in *Codice Fabriano lib. 1. tit. de summa Trinitat. & fide Catholica, §. septima nota.*

Ethnici quoque, & Iudæi in negotio Religionis, antiquitatē probarunt.

412.

Non dissimile studium erga verustatem in causa Religionis viguisse in Ethnicis, discimus ex Tertulliano *cap. 6. Apolog.* necnon ex Arnobio *lib. 2. num. 60.* & ex Isidoro Pelusiota *lib. 2. epist. 46.* Itémque ex Hilario Diacono *Ephes. 5.* ad illud, *Nemo vos seducat inanibus verbis*, Lactantio *lib. 2. Instir. c. 6.* Zacharia Mytilenæo *sub finem disputationis de mundo contra Philosophos.* Ut propterea S. Chryf. *hom. 7. in 1. ad Cor.* in illa verba, *Quis cognouit sensum Dei*, mundi per Apostolos conuersionē ex eo capite admirabilissimā esse statuatur, quod tātuli homines, abiecta veteri superstitione ad nouā doctrinā fidei amplectendā, Ethnicos induxerint.

Apud

Apud Theophilum Antiochenum *lib. 3. initio*, Autolycus Christianam Religionem repudiat, quia recens tunc, & nupera erat: obfirmatur autem in Ethnicismo ob eius antiquitatem, quam etiam valdè contra Christianos extollit Asclepiades Præses apud Prudentium *hymno 10. Peristeph.* agens cum S. Romano, verbis illis:

*O fas priorum, moris ò prisci status!
Inuenta Regum pro salute publica,
Pompiliorum nostra carpunt secula:
Quis hos sophistas error inuexit nouus,
Qui non colendos esse Diuos disputent?
Nunc dogma nobis Christianum nascitur.
Post euolutus mille demùm Consules
Ab vrbe Roma, ne retexam Nestores.
Quidquid nouellum surgit, olim non fuit.
Vis summa rerum nosse? Pyrrham consule.
Vbi ista vester tunc erat summus Deus,
Diuam fauore cum puer Mauortius,
Fundaret Arcem septicollem Romulus?
Quod Roma pollet auspiciato condita,
Ioui Statori debet, & Diis cæteris.*

Hoc sanctum ab auo est, hoc ab atavis traditum.

Quod autem Ethnici, præsidio se verustatis securos maximè arbitrarentur, idcirco aliqui Patres grauissimè demonstrarunt, esse id planè intutum munimentum in causa Religionis, si aliud nihil proferatur. Optimè præter cæteros id prosequitur S. Ambrosius initio illius epistolæ, qua Symmachi relationem pro Ara victoriæ, confutauit. Et rursus egregiè sub finem epistolæ. [Sed maiorum, (inquit,) seruandus est ritus. Quid quòd omnia postea in melius profecerunt? Mundus ipse, qui vel primùm coactis elementorum per inane seminibus tenero orbe concreuerat, vel confuso adhuc indigesti operis caligabat horrore, nonne postea distincto cæli, maris, terrarumque discrimine, rerum formas, quibus speciosus videtur, accepit? Exuræ humentibus tenebris; nouum terræ stupuere solem. Dies in exordio non refulget, sed in processu temporis, incremento luminis micat, & caloris exæstuat. Luna ipsa, qua propheticis oraculis species Ecclesiæ figuratur, cum primùm resurgens in menstruas reparatur ætates, tenebris nobis absconditur, paulatimque cornua sua complens, vel è regione Solis absolvens, cari splendore fulgoris irrutilat. Exerceri in fructus, terræ antè nesciebant: post vbi imperare aruis sollicitus cæpit agricola, & informe solum vestire vineis, syluestres animos domesticis mollitæ cultibus exuerunt. Anni ipsius, ætas prima, quæ nos vsu parili colorauit, nuda gignentium, sed in processu lapsuris floribus vernat, postremis adolescit fructibus. Nos quoque æui rudes, sensus habemus infantæ, sed mutati in annos, ingenij rudimenta deponimus. Dicant igitur in suis, omnia manere debuisse principiis, mundum tenebris obductum, quia splendore Solis illuxit, displicere: Et quanto gratius est animi tenebras depulisse, quàm corporis, fideique iubar emicuisse quàm Solis? Ergo, & mundi, sicut omnium rerum primæ uæ, uiam mutarunt, ut venerabilis canæ fidei sequeretur senectus. Quos hoc mouet, re-

413.

H h prehendant

prehendant messem, quia sera fecunditas est; reprehendant vindemiam, quia in occasu anni est: reprehendant oliuam, quia postremus est fructus. Ergo & messis nostra, fides animarum in Ecclesia; gratia meritorum vindemia est, quæ ab ortu Mundi virebat in Sanctis; sed postrema ætate se diffudit in populos, ut aduerterent omnes, non rudibus animis irrupisse fidem Christi; nulla enim sine aduersario corona est victoriæ: sed explosa ea opinione, quæ antè conualuit, id quod erat verum, iure prælatum.]

Concinnè item Philippus Abbas *lib. 1. in Cant. c. 6.* [Ad hanc non accessit Porphyrius, Aristoteles, Socrates, siue Plato, non primus non secundus, non de cælo cadens ille tertius Cato, non denique quisquis abhorruit cæcatus malitia, gratiæ nouitatem, tenens, & retinens suæ, vel scientiæ, vel sapientiæ vetustatem: quorum scientia non sanare, sed inflare veraci iudicio, prædicatur. Sapientia verò apud Deum, grauis esse stultitia iudicatur in qua tamen fixi manent sensu nescio veritatis, semetiplos seducendo quodam priuilegio vetustatis. E quibus vnus,

*Qui properant, (inquit,) noua musta bibant, mihi fundat anitum,
Testa merum.*

Non mustum nouæ gratiæ de sponsi pectore luculento, sed fundi sibi optans vinum erroris vetus, de vase lutulento; cuius eum acceptior, eo sibi perfectior videtur suauitas, quod etiam eum vsus confirmauit, & auita sanxit antiquitas. At verò mustum nouum, quod à vasis veteribus non potest sustineri, illi bibant, qui properant, qui procedentem è thalamo sponsum diligunt intueri.] Est auaritia, iudice Apostolo, idololatria, atque ad eò auari, Ethnicis accensendi. Quòd autem hi quoque mystici idololatræ, & Ethnici, antiquitate suam idololatriam tuerentur, eos refellit Sanctus Ambrosius *lib. de Tobia cap. 22.* Ad hæc Iudæos pariter, constat, non alia magis ex causa obfirmari in errore, quàm quod antiquitatem superstitionis suæ nolunt abiicere. Sic Herbanus Iudæus disputans secunda die cum Gregentio, pressus argumentis, ait Gregentio: [Sapienter quidem respondes. Verum enim verò, nos auitam illam, & patriam fidem deserere, & ad nouam accedere semper dolemus, & vehementer angimur. Vinum enim vetus, nouo melius est.] En quantoperè tenaces sint antiquitatis, miseri Apellæ. Iraque apud Christianos, multo magis, nouitas in causa Religionis, & fidei, exosa meritò est.

In Scripturæ interpretatione, improbatu nouitas.

416. Quia verò Scripturæ diuinæ, vnum sunt è reconditoriis, quibus fides continetur; (verbum enim Dei, quo fides Christiana nititur, aut est scriptum, aut traditum,) propterea inter Catholicos, suspecta semper fuit nouitas interpretationum Scripturæ sacre, eaque hæreticum constitui, paulo latius nomen hæretici vsurpando, tradit S. Hieron. *in cap. 5. ad Galatas*, adductus *cap. hæresis 34. quest. 3.* Sed & in Synodo Trullana *actione vltima can. 19.* iubetur, [ne quis Scripturam aliter interpretetur, quàm quomodo Ecclesiæ luminaria, & Doctores suis scriptis exposuerunt.] Quod ratum habetur in Tridentino *sess. 4. decreto de editione, & vsu sacrorum librorum*, vbi quilibet vetatur contorquere Scripturam ad sensus suos, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Ecclesia; aut etiam contra vnanimem consensum Patrum. Grauius contra Caie-
ranum

canum id infigit Canus 3. de locis cap. 3. concl. 5. Eademque valent contra Eras-
mum, qui lib. 3. de ratione concionandi, sub finem, multus est in tuenda liberta-
te nouandi circa expositionem Scripturarum. Et siue malitiosè, siue imperitè,
ita statuit quæstionem, vt longè absit à vero, quod ait hac in parte improbari
à Catholicis DD. Videsis ibi à pag. 181.

Iam olim Patrum plerique, eam Scripturæ contorsionem ad sensus extraneos
cum communi Patrum anteriorum mente pugnantem reprehenderunt, vt vide-
re est apud Chrysostomum hom. 34. in 1. ad Cor. in expensione illorum Aggæi
verborum, *meum est aurum*. Isidorum Pelusiorum lib. 3. epist. 292. Origenem
hom. 7. in Ezech. ferè initio, qui vtinam quam aliis fixit interpretandæ, non con-
tra antiquorum mentem Scripturæ regulam, seruasset ipse. Audi enim quid te-
stis omni exceptione maior S. Vincentius Lyrin. c. 23. *commonit.* de eo pronun-
ciet [Origenes, tantus ac talis, dum gratia Dei insolentiùs abutitur, dum in-
genio suo nimium indulget, sibi que satis credit, dum paruipendit antiquam
Christianæ Religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit,
dum Ecclesiasticas traditiones, & veterum magisteria contemnens, quædam
Scripturarum capitula nouo more interpretatur, meruit, vt de se quoque, Ec-
clesiæ Dei diceretur, *Si surrexit in medio tui Propheta*. Et paulo post. *Non audies,*
(inquit,) *verba Propheta illius*. Et iterum. *Quia,* (inquit,) *tentat vos Dominus*
Deus vester, virum diligatis eum, an non. Verè non solum tentatio, sed etiam
magna tentatio deditam sibi, atque à se pendentem Ecclesiam admiratione
ingenij, scientiæ, eloquentiæ, conuersationis, & gratiæ, nihil de se suspi-
cantem, nihil verentem, subito à veteri Religione in nouam profanitatem sen-
sim, paulatimque traducere.]

417.

Ratum igitur esto, nouitatem in rebus fidem spectantibus, deuitandam esse,
& libros, qui eam inuehunt, meritò parere censuræ, tanquam audaciæ impro-
bandæ fœtus. Inde enim Origenistarum nouitates esse deriuatas, Theophilus
Alex. lib. 1. Pasch. sub finem, egregiè aperit; non tacens quo abrupta hæc dementia
tandem deducat. [Quamuis, (inquit de libris Origenis,) iuxta vaticina-
tionem Prophetæ, Babylonis Calix, aureus esse dicatur, & compositione, ac
lepore, verborum veritatis pulchritudinem præferat, & transfiguret se in An-
gelum lucis; tamen sciendum, quòd quicumque bibunt de vino illius, mouen-
tur, & corruunt, & contriti, lamentatione sunt digni. Nos autem mortiferis
perturbationibus resistentes, muro continentiæ vallemus animam, & libertatem
illius, quotidiana virtutum exercitatione tueamur. Sicut enim venditi serui
eorum, qui pro eis dedere pretium, & famuli & verberones vocantur, ira
qui animas suas variis vendidere desiderijs, horum quibus se tradiderunt, fa-
muli nuncupantur; quasi crudelibus obediunt dominis. Eumque, & emen-
dadores erroris sui rigida fronte contemnunt, temeritate stultitiam defenden-
tes; ignorant, quòd audacia nihil sit aliud, (vt mihi quidem videtur,) nisi
absque sensu, & cogitatione, sententia; procul à se fugans gubernatorem
perturbationum, animum. Cùmque tali fuerit spoliata præsidio, præceps
in profundum fertur impietatis, & quasi quodam amarissimo rheumate, lu-
men mentis obscurat, oculumque eius secundum eloquium Scripturarum,
intractabili tenebrarum nocte circumdat. Vnde qui Origenis terroribus dele-
ctantur, Festiuitatis Dominicæ non sperent præconia, nec vaguenta, aurum,
& margaritas quærant in luto.]

418.

H h 2

Nova

Noua fidei illustratio, non improbat.

419. Cæterum non habetur pro nouitate, illustratio noua rerum fidei, proindeque non est damnandus scriptor eam inferens, ita ut cum dicat nouè, non dicat noua, ut loquitur Vincentius Lyrin. *in commonit. cap. 27.* Illustrans locum Apostoli 1. *Timoth. 6.* quo profanæ vocum nouitates exterminandæ decernuntur; affatus in hunc modum, tractatorem sacrum. [O Timothee, ô Sacerdos, ô tractator, ô Doctor, si te idoneum munus fecerit diuinum, ingenio, exercitatione, doctrina, esto spiritalis Tabernaculi Beseleël, pretiosas diuini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur; per te posteritas intellectum gratuletur, quod antè vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quæ didicisti doce, ut cum dicas nouè, non dicas noua.]

Huncque in sequentibus, præcunte Sancto Basilio *epist. 79. ad Eustathium,* docet esse profectum Religionis, ac fidei, salua vetustate, & exclusa nouitate. Eruuntur enim pleraque, & euoluuntur prius latentia, nec nisi velut in semine habita; quæ sic euoluta, non habentur noua. Illustratio verò ipsa, seu modus confirmandi, aut declarandi dogma fidei, quamuis planè nouus esset, dummodò dogmatis vetustatem non remoueret, labæ careret. Vnde meritò explodendi sunt, qui modum nouum, (ut ipsi quidem putant,) quamuis sit reuera perantiquus; modum, inquam, libertatem cum diuina naturali, & supernaturali prouidentia conciliandi per scientiam mediam, eo tantum nomine criminari voluerunt, quòd nouus esset.

Neque noua illustratio Scripturæ.

420. Similitèrque quoad Scripturarum interpretationem, in qua vidimus veteri nouitatem, non est æstimandum præcipi, ut tantum liceat repetere quæ anteriores tradiderint; sed ut non liceat proferre nouas interpretationes, consensui vnanimi sanctorum Patrum, aduersantes; & quæ stare nequeant cum eorum doctrina. Ita Turrianus *in præfatione ad librum primum de Eucharistia,* Bannes 1. *part. quæst. 1. art. 10. dub. 6.* Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 2. quæst. 3.* Canus 8. *de locis cap. 5.* Alcazar *notat. 19. proem.* Caietanus *prologo in Pentateuchum,* Mendoza *quæst. 2. posit. num. 2.* Basilius Poncius *quæst. 4. posit. cap. 4.* Cætera verò, quæ industria posteriorum excogitare potest, non pertinent ad nouitatem damnatam; alioqui ieiunè nimium, imò eo indignè pronunciamus, de Scripturæ maiestate, quàm exhaustam ab anterioribus fateremur. De posteriorum verò ingeniis iusto demissius sentiremus, qui abæar vacui ex campo, ac vinea, in quibus semper licet spicilegium, & racemationem facere, ut de Scriptura dixit S Ephrem *serm. de Transfiguratione.* Præterè Orig. *homil. unica in libris Reg.* cum protritam explicationem quorundam pūctorum retulisset, subdit. [Sed quantum innouari semper iubetur, qui secundum Euangelicam viuere, & nouum Testamentum semper debet nouis sensibus illustrare, & cantare Domino, iubemur.]

uit Quiros. *ad cap. 3. Malachie*, num. item 3. Meritò denique amorem antiquæ doctrinæ commendat Gerſo *lect. 4. de vita ſpirit. coroll. 8.* Ad mores idem paſſim extendi, ferè fruſtrà monerem, cùm *veteres mores* paſſim pro bonis, & probatis dici videamus, quod multis illuſtrat Iuretus *ad lib. 4. Symm. epiſt. 11.* Sic *vir veterum morum* apud Eutropium *lib. 10.* & apud Vopilcum *in Bonoso.* Auſonius quoque *in Parental. Epigr. 30. veterum foemina morum* dixit, pro muliere ſancta, & pudorata. Qui item ſaluam ſibi manere *veterum morum*, id eſt, probatorum regulam oprabat, *moribus antiquis* ornatos dixit, cùm frugi, & honeſtos vellet dicere, Caſſiod. *lib. 3. epiſt. 5.* Homo *antiqua virtute, ac fide* appellatur, qui à probitate commendatur apud Comicum *in Adelphis act. 3. ſcena 4.* Alius,

Moribus antiquis res ſtat Romana viriſque.

Phaſtorinus denique apud Gellium *lib. 1. c. 10.* & Macrobius *1. Saturn. cap. 5.* ſtatuebat loquendum nouis vocibus, ſed viuendum antiquis moribus; eo quòd antiquitas honeſta, ſobria, modeſta ſit; poſteritas autem veteres mores decoloraret, vt loquitur Seruius ad illud 8. *Æneid.*

Deterior, donec paulatim, ac decolor etas.

*Non omnis nouitas reproba, vel
illaudata.*

423. Hæc quamuis ita ſint, nego tamen deſpiciendos eſſe nouos, quaſi nihil addiderint, vel nulla ex parte veteres æquarint, quod ſanè falſum eſt, & multipliciter præter cæteros id reſellit, qui nunc nunc prodiit Sherlogus *antelog. 4. in Cant. ſect. 13.* Et vt inuidioſam veterum, ac nouorum contentionem dimittam, non debet tamen nouis ſua laus negari. [Eſt enim in ſcriptis vetuſtatis, eſt authoritas maior, & illud Flacci verum ſit, quòd

Meliora dies, vt vina, pœmata reddit.

Habet tamen, & nouitas gratiam ſuam.] Iudicium eſt Franciſci Petrarchæ *lib. 2. de vita ſolitaria ſect. 10. cap. 1.* Nec diſſimilia Franc. Picus *lib. 1. de ſtudio diuina, & humana Philoſ. cap. 7.* & meritò. Nam & ſcriba doctus, profert de Theſauro ſuo noua & vetera. Audi etiam Hiſpanum Pœtam *lib. 5. Epigram. 10.*

Esſe quid hoc dicam, viuis quod fama negatur.

Et ſua, quod rarus tempora lector amat?

Hi ſunt inuidia nimirum Regule mores,

Praferat antiquos ſemper vt illa nouis.

Sic veterem ingrati Pompei querimus umbram,

Et laudant Catuli vitia templa ſenes.

Ennius eſt lectus, ſaluo tibi Roma Marone:

Et ſua riſerunt ſæcula Mæonidem.

Rara coronato plauſere Theatra Menandro

Norat Naſonem, ſola Corinna ſuum. }

424. Facit ad hanc mentem, quod, vt poſt Iuſtini anum ait gloſſa celebris ad l. *Gallus. ff. de liber. & poſth. verſ. ſi filius*, quanto iuniores, tanto perſpicaciores, intelligendo per *iuniores* recentiores, qui tamen ſcripta antiquorum euoluerint:

vt Iason limitat ad dictam I. Gallus, initio, num. 51. & Nauarrus miscellan. 47. de orat. Euoluisse potè intelliguntur, non vt ea nudè transcriberent, sed vt iis suas commentationes, & perserutationes, ac inuenta inædificarent. Alioqui, vt S. Bonauentura optimè differit in Prologo sententiarum quest. 4. Ille scriptor non esset *author*, sed *compilator*: & vetustas, qua niteretur, fastidiosa esset, & fructus expers. Ille quippè solus meretur *autor* audire; iuxta S. Bonauenturam, [qui scribit & sua, & aliena: sua tanquam principalia, aliena tanquam annexa ad confirmationem.] Quod profectò non præstat, qui tantùm priùs proposita recantat, & regerit.

Itaque nouitas, vt S. Isidorus Pelus. lib. 2. epist. 46. ait, non debet carere laude sua. [Ne inspicias cantharum, (aiebat Rabbi Iose in capitulis Parrum Hebr. pag. 81.) sed potiùs, quod in eo est. Aliquando enim cantharus nouus, refertus est vino veteri: interdum verò cantharus vetus est, in quo nec nouum vinum est. Sic novos Sanctos, pari cum veteribus veneratione prosequendos esse, si tantum temporis capedo allegetur in contrarium, latè prosequitur Gregorius Nissenus orat. in S. Basilium, initio: attingitque etiam Sanctus Chrylostomus in fronte orationis in SS. Iuuentinum, & Maximum, & benè Gauffridus Abbas Altæ Cumbæ in Prologo vite sancti Petri Tarentasiensis. Non omnem nouitatem in imaginibus, etiam sacris, esse improbandam, latè prosequitur Cardinalis Palæotus lib. 2. de sacris, & prophanis imaginibus, cap. 32.

Nouiloquij sacri non improbatij,
exempla.

Nouæ in Ecclesia voces, cùm vsus, & necessitas tulit, receptæ sunt cum laude, & antiquis minùs commodantibus antepositæ: de quo optimè in hunc modum S. August. tractat. 97. in Ioan. sub finem. [Sunt & doctrinæ Religionis congruentes verborum nouitates, sicut ipsum nomen *Christianorum* quando dici cœperit scriptum est; in Antiochia enim primùm post Ascensionem Domini appellati sunt Discipuli, Christiani, sicut legitur in Actibus Apostolorum; & *Xenodochia*, & *Monasteria* postea sunt appellata nouis nominibus; res tamen ipsæ, & antè nomina sua erant; & Religionis veritate firman- tur, qua etiam contra improbos defenduntur. Aduersus impietatem quoque Arrianorum hæreticorum, nouum nomen Patres *Homoousson* condiderunt, sed non rem nouam tali nomine signauerunt; hoc enim vocatur *Homoousson*, quod est, *Ego, & Pater unum sumus*, vnus videlicet, eiusdemque substantiæ, nam si omnis nouitas, prophana esset, nec à Domino diceretur, *mandatum nouum do vobis*; nec *Testamentum* appellaretur *nouum*, nec cantaretur in vniuersa terra canticum nouum.]

De voce *Homoousson*, quam Arriani, vt nouam auersabantur, sic differit Sanctus Hilarius lib. contra Constantium. [Dic priùs si rectè dici putas: Nolo aduersùm noua venena nouas medicamentorum comparationes; & nolo aduersùm novos hostes, noua bella: nolo aduersùm nouas insidias, consilia recentia. Si enim Arriani hæretici, idcirco *homoousson* hodie euitant, quia priùs negauerunt, nonne tu hodie idcirco refugis, vt hi nunc quoque denegent? Nouitates vocum, sed prophanas deuitari iubet Apostolus. Tu cur pias excludis?

cludis? Cùm præsertim ab eo dictum sit, *Omnia Scriptura diuinitus inspirata utilis est*; innascibilem, scriptum nusquam legis, nunquid & hoc negandum erit, quia nouum est?] Existimauit Iacobus Billius *lib. 5. obseruat. sacra. cap. 7.* eam vocem tempore Niceni Concilij planè nouam fuisse, primùmque ab Eusebio Nicomediensi, Arrianorum primicerio ingestam tanquam abominandam: quod cùm Patres Niceni cognouissent, eamque vocem aptissimè veritatem Catholicam aduersus Arrianos exprimere animaduertissent, hoc verbum in tractatu posuerunt, ait S. Ambrosius *lib. de fide, cap. ultimo.* Ex horrore autem illius vocis à Catholicis meritò adamatæ, tamen tunc nouatæ, factum est, vt Arriani Catholicos per probrum vocarent *Homoousiastas*, vt scribit S. Basil. *epist. 73.* & S. Augustinus *contra sermonem Arrianorum cap. 36.* & in 2. respons. *contra Iulianum lib. 5. n. 73. pag. 116.* Fateor aded infrequenter vocem *Homoousion* tempore Niceni Concilij fuisse vsurpam in mysterio Catholico exponendo, vt potuerit noua videri. Ex quo rectè confirmatur, nouiloquium aliquod cum antiqua veritate consentiens, posse in Ecclesia ferri. Tamen, simpliciter loquendo, ea vox longè ante Nicenum Concilium ad explicandam eandem filij cum Deo Patre essentiam, vsurpata est à Dionysio Alexandrino *in epist. ad Paulum Sarnosatenum*, & à S. Gregorio Thaumaturgo *in Anathematismis*, vt ibi obseruauit Vossius. In alio negotio eandem vocem vsurparat Origenes *comment. in Iobum ad cap. 37.* vbi Genebrardus margini apposuit correctionem textui aduersantem. Censet enim textum esse corruptum, & legendum esse *homoiusion*. Sed hallucinatur. Rectè enim negat Origenes quicquam esse Deo *ὁμοούσιον*, id est, *vnus essentie*, vel *ὁμοούσιον*, id est, *essentia eiusdem*, quia intendit pungere Marcionem qui humanas animas eiusdem cum Deo essentia statuebat, vt Theodoretus est Autor tractans eius hæresim. Sed ad rem. De noua voce *homousios* non respuenda, insigniter planè S. Vigilus, (is enim est autor,) in disputatione Laodicensi, Athanasij nomine cum Ario, *aliquot ab initio paginis.* Nec id patrocinator nouiloquio, verè inaniloquio, quod exagitauimus in opere *de libertate p. 1. c. 12.* quodque fuisse Sophistis adamatum, signatis exemplis monstrat Cresolius *lib. 3. theatri sophist. c. 23. §. 5.* Pugnat latè pro hoc vsu nouorum nominum, cùm ita fert necessitas, aut utilitas, Sidonius *prefatione ad carmen suum 14.* allegato Tullio, quem etiam in hanc rem laudat S. Hieronymus *in c. 1. ad Galat. ad illud, notum vobis facio Euangelium*; & latè Nicolaus Sufius *lima Ciceroniana c. 8.* Plenè item in hanc rem Espencæus *in Paralipomenis ad epist. 2. ad Timoth. digress. 5.* & Carbo *lib. 4. introd. ad Theolog. c. 14.*

Sententiarum Theologicarum nouitas aliqua, approbanda.

428.

Nouas sententias Theologicas, ex diligenti Scripturarum, & Patrum expositione fabricatas, nec vlla in re conuellentem doctrinam fidei, quis idcirco improbet tantùm, quia ab anterioribus non sunt traditæ? Quinimò posteriores anteriorum laboribus adiuti, possunt pertingere, quod anteriores non pertigerunt: idque in ipsorum antiquorum decus cedit, iuxta illud Ægydij *in 2. dist. 37. q. 1. art. 3.* [Posteriores existentes super humeros priorum, longiùs vident, quàm priores. Nam si nanus esset super humerum [gigantis, longiùs videret,

videret, quam gigas.] Habet profectò in hac re locum, quod Claudius Imperator apud Tacitum *lib. 11. cap. 8.* in non absimili causa pronunciauit. [Quæ nunc vetustissima credunt, noua fuere; Plebeij magistratus post Patricios; latini post Plebeios; cæterarum Italiæ Gentium post latinos. Inueterascent hæc quoque, & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.]

De se, ac descriptionibus suis, & Poëmatiis scitè Iberus Poëta. *lib. 1. Epigr. 55.*

Nou me, quòd tibi sim nouus, recuses.

Omnes hoc veteres sibi fuerunt.

Ita profectò sententiis quoque vsu venit. Quæ olim velut in pueritia videri poterant, procedente tempore quasi canescunt.

At nefas est, contra quàm maiores, (præsertim Patres,) senserunt, opinari. Audio ignauorum garritum, & prætextum hebetum ingeniorum. Contra Patres vniuersos sentire in re theologica, & ad fidem aliquatenus reducibili, nefas profectò sit. In aliis verò materiis, ab eis plerumque sine noxa disceditur, vt Canus *lib. 7. de locis cap. 3.* rectè statuit. Imò in illis ipsis, quas dixi aliquid à Patribus intactum proferre, vel quæ ipsi non nisi in radice, aut in semine attigerint, explicare distinctiùs, aut educere, est laude dignissimum. Nec nisi per crassam admodum intelligentiam decretorum Ecclesiæ, quibus antiquæ doctrinæ non aduersari, & Patribus inharere iubemur, laceratur à nonnullis ea agendi ratio. Quibus meritò opponamus, quod olim Richardus Victorinus *Prologo in expositionem visionis Ezechielis*, aliquibus id ipsum eo tempore effutientibus opposuit. [Quidam, (inquit,) quasi ob reuerentiam Patrum, nolunt ab illis omiſsa attentare, ne videantur aliquid ultra maiores præsumere. Sed inertix suæ eiusmodi velamen habentes, ocio torpent, & aliorum industriam in veritatis inuestigatione, & inuentione derident, subsannant, & exsufflant. Sed qui habitat in calis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Nos autem à Patribus pertractata cum omni alacritate perquiramus; & sagaciter inuenta cum omni liberalitate in commune proferamus, vt impleatur, quod scriptum est, *pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia.*]

Inquirere in ista paulo accuratiùs placuit, cum vt veritas per necessaria innotesceret; tum vt occurreretur difficultati, quæ opus quoddam nostrum aliquando grauauit, ob approbatum in eo opere illud *Martyrium*, quod Eusebius *miseriordia* appellauit. Concitatus est in id opus quispiam, causatus nouitatem sententiæ. At neque ea verè est noua sententia, neque omnis sententia noua, improbanda, tantùm, quia noua; vt benè statuit Carthus. *in præmio ad 2. sent. Simancas in Cathol. Institut. cap. 50.* & Corduba *lib. 2. q. 3.* Optimè verò, & subiectis exemplis id palpabiliter demonstrantibus, id tradidit Ioannes Sanchez *disp. 29. selecta.*

Pruriginosa, & leuis nouatio, in omni genere improbanda.

Liquet ex dictis, quatenus nouitas, in libris de fide, aut rebus sacris, toleranda, quatenus improbanda sit. Quod verò ad libros attinet de aliis argumentis ad seueriores disciplinas pertinentibus conscriptos, certum est coercendam

Ii

omniò

429.

430.

omnino esse ingeniorum quorundam pruriginem nouandi, à quibus nulla ex causa, antiqua doctrina per meram petulantiam conuellitur. Sic merito superiore seculo, & litteratorum iudiciis, & potestatis quoque regiae decreto, quod extat apud Carpentarium in *Alcinoum*, explosa est insana temeritas Petri Rami sectarij, qui in Physicis nouos sibi calles terere, & abiecta Aristotelicæ doctrinæ soliditate, nouis nugis scholas implere machinabatur. Medicis *Thessalus*, & postea *Paracelsus* ob nouitates quas adamarunt, in tanto pretio non sunt. Inter Theologos Scholastico minutiloquio dantes operam, Gerso in *epistola ad studentes Collegij Nauarra*, inserta tomo primo, hanc librorum nouam doctrinam ostentantium editionem, valde improbat, sisti volens in antiqua doctrina. Ex hac classe, insignia ingenia duo, Durandus, & Aureolus minùs benè audiunt, quod ingeniis, quibus valebant plurimùm, indulerint in plerisque; & nouas eudere, ac comminisci opiniones, communem tramitem sine causa deserendo non dubitarint. Estque haud dubiè argumentum iudicij minùs exquisiti, nec satis maturi, vel emuncti, ferri facilè, & absque vrgenti ratione, extra viam: ita vt quamuis res de qua agitur, ad scholæ tricas merè pertineat, nec inde dispendium vllum doctrinæ fidei, vel sanis, ac puris moribus sit timendum, tamen consultissimum sit, quando manifesta ratio non vrget, ab anteriorum placitis non discedere. Qui autem præcipites circumferuntur omni vento doctrinæ, & quidquid in cerebrum venit, temerè effutiunt, merito displicent, tanquam temerarij; possetque ea temeritas, (quippe primus gradus malignitatis doctrinæ,) satis esse ad libri confixionem, si non exigua, & rara esset, nec in leuis momenti doctrinam, quam sanam retineri, & vitij expertem interesset. Etiam modus nouus docendi, siue res diuinas, siue naturales, cum aduersatur receptissimæ apud omnes retrò antiquos consuetudini, iure improbat, vt fecisse Academiam Parisiensem quoad Raimundum Lullum, testatur Gerso *tomo primo tract. de examinatione doctrinarum, parte 2. consid. 1.*

Neque tamen inducenda seruitus ingeniorum.

431. Hæc tamen eo non pertinent, vt scriptores etiam de argumentis, in quibus versamur, velimus esse serua percora, aut Ixiones eandem semper molam versantes; cuiusmodi sunt plerique vmbra ipsi suam extimescentes, qui nisi totidem verbis, ac syllabis apud aliquem, qui dux gregis habeatur, sententiam aliquam conceptam, & expressam repererint, ab ea velut ab aspide declinant, causantes nouitatem. Rubiginem hanc, imò pestem bonorum ingeniorum, nemo prudens approbet. Eam Seneca iam olim castigauit *epist. 33.* [Quousque, (inquit,) sub alio moueris & impera, & dic, quod memoriæ tradatur, aliquid de tuo profer. Omnes itaque istos nunquam authores semper ininterpretes, sub aliena vmbra latentes, nihil puto habere generosi; nunquam ausos aliquando facere, quod diu didicerunt, memoriæ in alienis exercuerunt. Aliud est, meminisse, aliud scire. Meminisse est rem commissam memoriæ, custodire: at contrà scire est, & sua facere quæque, nec ab exemplari pendere, & rotas ad magistrum respicere. Hoc dicit Zeno, hoc Cleanthes. Aliquid intersit inter

inter te, & librum. Quousque disces? Iam, & præcipe? Quid est quare audiam, quod legere possum? Multum, (inquit,) viua vox facit. Non quidem hæc, quæ alienis verbis commodatur, & actuarij vice fungitur. Adiice nunc, quod isti, qui nunquam tutelæ suæ sunt; primum in ea re sequuntur priores, in qua nemo non à priore desciuit, deinde in ea re sequuntur, quæ adhuc quæritur; nunquam autem inuenietur, si contenti fuerimus inuentis. Præterea qui alium sequitur, nihil inuenit, imò nec quærit. Quid ergo? Non ibo per priorum vestigia? Ego verò utar via veteri, sed si propiorem, planioremque inuenero, hanc muniam. Qui ante nos ista mouerunt, non domini nostri, sed duces sunt.]

Rectè Durandus in *Prologo*, ait hanc esse *insipientiam bestialem*, præcludentem viam inquisitioni veritatis, præstantem sciendi impedimentum, & violenter opprimentem lumen rationis. Alphonsus de Castro *lib. 1. aduersus hæreses cap. 7.* appellat *miserrimam seruitutem*. Asperius quoque in has, (vt Ioann. Picus Apologiæ initio pronunciat) ingeniorum angustias, agit passim Catharinus in opere *de immaculata Conceptione Deipara*. Nimia hæc est depreciatio ingeniorum aui posterioris. Quod enim de Mose puero notauit Philo *lib. 1. vita eius*, ingenia præclara in rebus difficilibus aliquid semper de suo comminiscuntur, & addit. [Nam præclara ingenia, multa nouant circa scientias.]

*Multa in humanis disciplinis recens excogitata,
cum laude.*

Itaque fas omninò esse debet, & verbo, & scriptis editis, suffragante ratione valida, & seclusa omni incommodatione, doctrinæ sacræ inde inferenda, inire aliquando non signatam anterioribus vestigiis viam, & nouam doctrinam proferre de ingenij penu. Sic quamuis antiquis maiori ex parte placuisse videatur cælorum soliditas, meritò tamen recentiores, adacti iis phænominis, quæ ex parte veteres notarant, vt Varro, teste D. Augustino *lib. 21. ciuit. c. 8.* & ipsi recentiores diligentius obseruarunt, ad fluxam, & liquidam cæli planetarum constitutionem inuicendam, sunt adducti; & qui eos à nouitate sunt criminati, (quales plerique auditi ante annos aliquot,) senili vitio, cui noua nunquam placent, laborare sunt visi.

In moralibus quoque, videmus quàm multa, mutationem cum laude suscipiant in dies. Pleræque sententiæ, quibus aliquis contractus habebatur illicitus, explosæ sunt, inualescentibus contrariis. Et quamuis Gerlo *1. p. epist. ad studentes Collegij Nauarra*, laudet Buridanum in proæmio Ethicorum, profitentem se pluries deceptum esse, adhærendo nouis rationibus, ideòque eas non sequuturum; tamen id de quauis rationum in moralibus nouitate non rectè dici, experientia docet. Itaque quod de morum sapientia, & libris de ea editis scriptum est à Seneca *epist. 64.* æquè de omni genere disciplinarum, & librorum valer. [Veneror inuenta sapientiæ, inuentoresque adire, tanquam multorum hæreditatē iuuat. Mihi ista acquisita, mihi laborata sunt; sed agamus bonum patre familiaris. Faciamus ampliora, quæ accepimus. Maior ista hæreditas à me ad posteros trāseat. Multum adhuc restat tēporis, multumque restabit, nec vlli nato post mille

secula præcludetur occasio aliquid adhuc adiiciendi.] Et paulo pòst. [Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt.] Eadem Themistius orat. 15. latè pro hac nouitate pugnans. Lactantius item pulchrè lib. 2. *Instit. cap. 8.* [Dedit omnibus Deus pro vitili portione sapientiam, vt & inaudita inuestigare possent, & audita perpendere. Nec quia nos illi temporibus antecesserunt, sapientia quoque antecesserunt; quæ si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Illibabilis est tanquam lux, & claritas Solis; quia vt Sol oculorum, sic sapientia lumen est cordis humani. Quare cum sapere, id est, veritatem quærere, omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt, qui sine vlllo iudicio, inuenta maiorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur.]

Huiusmodi ergo nouitas, in materiis de quibus agimus, cum ratio valida non deest, nec inde quicquam rebus theologice incommodandum timetur; & auctori, & libris innoxia esto; æquè, ac nouitas vocum, pro qua in his materiis admittenda, cum res fert, pugnat optime Sidonius præfatione ad carmen suum 14.

Cauenda oblesio Doctrinae sacrae, ex nouatione humana.

434. Volo ex nouitate in re Philosophica, alteriusve disciplinae naturalis propria, non incommodari doctrinae sacrae, siue directè, siue indirectè; quia tunc locus meritò esset confixioni. Sic Copernicus, & alij, qui frigidis quibusdam ratiunculis ducti, caelorum immobilitatem, & terrae stabilitatem recens inuenerunt, quia apertè aduersantur Scripturis, caeli, ac Solis gyrationem; terrae verò in æternum stantis firmitatem tradentibus, iure sunt explosi, eorumque tractationes confixæ. Nec procul à periculo, proindeque etiam à confixionis debito, visa mihi semper est abesse, noua sententia Philosophica de structura continui ex meris punctis extensis, & virtualiter diuisibilibus, tametsi corporeis, & materialibus; inde enim via sternitur, Angelorum tametsi impartibilium materialitati, & corporeitati, quam sana Doctrina reprobat. Similiter nouam sententiam Philosophicam Petri de Lorca, qui simul, & semel, (tametsi non nisi transeunter,) formam, & priuationem eius, duasque oppositas formas inesse per momentum eidem subiecto existimauit; inde periculofam semper sum arbitratus, quòd, vt idem auctor falsus consequenter est, dici posse videatur, quòd, grãtia sanctificans, & mortale peccatum, coexistant in eadem anima per momentum; panisque, & corpus Christi, sub iisdem accidentibus transeunter inueniantur. Præterea noua sententia Gulielmi Gibieufi, qui libertatem moralitatis fundatricem, negauit esse potestatem vtriuslibet flexilem: censuit autem esse amplitudinem ex adhesionem cum Deo; ex falso philosophico fundamento, multas in rem theologice scribiligines inuehit, plenè suo loco discussas; ob quas ea sententia probari nullo modo potest. Dammodò igitur declinentur scopuli, & occasione Philosophiæ non patiatur dispendium vllum sacra doctrina, non est tantoperè circa res philosophicas vitanda nouitas, quàm circa res sacras, & Religionem; faciliusque ferendum est, vt in Philosophicis sentiat quisque quod libet, vt Sanctus Augustinus rectè monuit 5. *confess.* quem adducit S. Thomas *op. 10.*

Videndum

Videndum tamen est, ne incommodatio doctrinæ theologicæ à noua sententia Philosophica, inconsideratè, & sine fundamento prætendatur. Quæ ratione nuper aliquis, integro libello, tanquam non ferendam in Theologia, exagitaui sententiam ab Ægidio Coninck, & Aresio recens adiuuentam, de aquæ in vinum intransmutabilitate. Censuit enim inde sequi, totum, quod est in Calice post consecrationem, non esse adorandum, quod illi videtur magnum inconueniens. An rectè, nunc non discutio: facile autem quis dixerit, quod existimo verissimum, idcirco totum quod est in calice adorari, quia siue aqua modico illo tempore, quod ab ea immixta intercedit arte consecrationem, vertatur in vinum; siue, quod verius videtur, non vertatur; (non quod sit naturaliter intransmutabilis in vinum, sed quod desit mora sufficiens;) tamen idcirco vertitur in Christi sanguinem, atque aded est adorabilis suprema adoratione, quia materia consecrationis calicis, est vinum vsuale, quod non excludit aliquam aquæ admisionem. Itaque sententia Philosophica, cui Ægidius Coninck, & Aresius adhæserunt, inconsideratè, & licenter nimis, explosa est tanquam periculosa. Quam præcipitem, & inconsideratam de aliorum placitis pronunciandi rationem, aio esse declinandam, bono & æquo censori, cui non est timendum vbi non est timor.

435.

Circa mitiora studia, laxior nouandi facultas.

Adhuc multò plus concedi velim, nouitati, in amœnioribus litteris; nec immeritò Flaccus lib. 2. epist. 1. de ea iudicij obtorsione exoptulat, qua tantum quæ terris, & temporibus suis semota quis videt, plausu digna reputat. Ille contrà.

436.

*Si meliora dies, ut vina, poemata reddit,
Scire velim, pretium chartis quotus arroget annus.
Scripior abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos, veteresque referri debet? an inter
Viles, atque novos? Excludat iurgia finis.
Est vetus, atque probus centum qui perficit annos:
Quid? qui deperit minor vno mense, vel anno,
Inter quos referendus erit? Veteresne poetas.
An quos & presens, & postera respuet etas?
Iste quidem veteres inter ponetur honestè,
Qui vel mense breui, vel toto est iunior anno.
Vtior permissio; caudaque pilos, & equina
Paulatim vello, & demo vnum, demo etiam vnum.
Dum cadat elusus ratione ruentis acervi,
Qui redit ad fastos, & virtutem aestimat annis,
Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacrauit.*

Plinius item lib. 1. epist. 16. & lib. 6. epistol. 21. authores novos, non minus quàm antiquos, probandos docet. Adi & Iurerum ad lib. 1. Symmachi, epist. 3.

I i 3 Sed

Sed hæc scriptionis, non rerum nouitas est. Quoad ipsam quoque rerum nouitatem, egregiè Fabius *lib. 10. Instit. c. 2. & 5.* in hanc rem differit; & pigri esse ingenij tradit, putare nihil superesse.

Quæ aliquando malè improbata ob nouitatem.

437. In summa, non est prætermittenda obseruatio, & in disciplinis, & in præxi pietatis, digna notatu; pleraque nimirum inculari nouitatis, quæ reuera sunt perantiqua, nec nisi iniuria temporum, vel hominum incuria, in desuetudinem abierant. In sententiis & Philosophicis, & Theologicis, hoc in dies experimur, refodi nimirum in dies placita, quæ initio videntur noua, postea autem deprehenduntur antiqua. Exemplo sit in Philosophicis opinio, quæ raritatem negat esse qualitatem ab extensione, & certa tantæ materiæ connotatione distinctam; quam cum præter receptum vsum ante annos aliquot inuexissemus, vix censuram erroris effugimus. Et quamquam rationibus nostris occurrere non possent, qui damnationem urgebant; tamen nouitatis præiudicio grauabamur, donec fuisse eam sententiam innumerorum veterum Scholasticorum, ac Philosophorum, apertè demonstrauius. In Theologicis eandem aleam subiit sententia nostra de absolutione pœnitentis, qui externum doloris signum præbuisset quidem, non tamen Confessarium petiisset. Itémque alia sententia de peccati commissionis ratione purè positua. Hæc placita nouitatis in nobis damnata, anteriorum fuisse Doctorem clarè monstrauius aduersus præcepta nonnullorum iudicium.

438. In negotio pietatis tot encomiis postea à viris grauissimis exornata secessio Carthusianorum, malè initio audiuit, tanquam noua; quam tamen fuisse perantiquam, his verbis monstraui illius æui scriptor Gulielm. Abbas S. Theodorici, ad fratres de Monte Dei, *ferè initio.* [Implete gaudium meum, non meum tantummodò, sed omnium diligentium nomen Dei, vt in vacietate vestitus deaurati de auro sapientiæ Dei. Regina assistentis à dextris sponsi, vestro studio, vestra instantia, ad Dei gloriam, & magnam coronam vestram, & gaudium omnium bonorum, hoc sanctæ nouitatis instauretur ornamentum. Nouitatem verò dico, propter linguas nequam; ; (à quarum contradictione abscondat vos Deus in abscondito faciei suæ,) hominum impiorum, qui cum manifestum lumen veritatis obnubilare non queunt, de solo nouitatis nomine cauillantur: veteres ipsi, & in veteri mente nescientes noua meditari: vt res veteres non capientes vinum nouum; quod si eis infunderetur, rumperentur. Sed hæc nouitas non est nouella vanitas. Res enim est antiquæ Religionis, perfectè fundatæ in Christo pietatis; antiqua hæreditas Ecclesiæ à tempore Prophetarum præmonstrata, iamque nouæ gratiæ sole exorto, in Ioanne Baptista instaurata, & innouata; ab ipso Domino familiarissimè celebrata.]

439. Reformatio Ordinis Religiosi collapsi, insimulata aliquando est nouitatis, vt refert, & refellit Ioannes Nider *lib. 1. de reform. Relig. cap. 7.* vbi monstrat non omnem nouitatem esse improbandam, immò in Scriptura, septem nouitates commendari, *cordis, oris, conuersationes, bonæ fame, seu nominis, ac vitæ.*

Quid

Quid creber vsus Sacramentorum , eum per S. Ignatium instauratus , & in Ecclesiam reuocatus postliminio est , quantam à nouitate infamiam apud tepidos , imò frigidos , & à corde mortuos sustinuit ? Et tamen nihil fuisse in Christiana Ecclesia antiquius , constat ; & monstrauit eo ipso tempore , quo feruebant tam sancti vsus allatratores , Christophorus Madridius , iusta lucubratione de eo argumento. In Societatis I E S V instituto , quàm multa initio veluti noua damnarunt , plerique antiquarij ? Monstrauit tamen postea non pauci , & in iis accuratè Basilius Pontius Augustinianus , & Petrus Ribadeneira , nihil inter nos nouum esse , quod non fuerit in seculis , quæ fuerant ante nos. Non constitutionem aliquorum in statu Religioso per vota simplicia , non dominij per Religiosos retentionem , non eruditionem iuuentutis , etiam in mitioribus studiis ; non Chori defectum , non vllum denique ex iis , quæ liuentes oculi , & animi in Societatis instituto vellicarunt. Vt potuerimus profectò nos quoque vsurpare illud , Carthusianis de Monte Dei à Gulielmo Abbate dictum. [Sileant ergo , qui in tenebris de luce iudicantes , vos arguunt nouitatis , ex abundantia malæ voluntatis ipsi potiùs arguendi vetultatis , & vanitatis.]



PARTITIO II.

De actus confixionis librorum.

B obiecto progredimur ad actum , cuius dotes , ac nauos 440.
hic non persequar , quia locus illis erit inter tractandum de potestate configentium , eiusque expromendæ modo. Nunc itaque considerabimus circa confixionem , illud duntaxat , debeat ne semper totalis esse , an partialis aliquando esse possit , aut etiam debeat , cum respectu habito ad lectores , quorum varia conditio varium configendi modum deposcat ; tum etiam simpliciter , ratione habita librorum , qui sint eiusmodi , vt quæcumque sit lectorum conditio , verari eos ex parte tantum , & velut castrati , aut etiam prorsus aboleri par sit.